

NUMMUS TYPICUS

FRANCISCI A SICKINGEN

EQUITIS AURATI IMAGINEM REFERENS:

Cususcum Urbem Trevirenssem hostiliter

obsideret, Anno Christi 1522.

& 1523.



P RÆCLARIS admodum atque eximiis animi dotibus Heroem isthuncce (cujus & superius facta mentio) præditum fuisse, indicio illud esse potest: quod Carolus V. imp. cenfor ingeniorum accerrimus, non solum in Consiliariorum cum numerum allegit, sed & exercituum variorum ducem ac caput esse voluit. Cæterum ut *vitis nemo sine nascitur: optimus ille, qui minimis urgetur*: sic in hoc Franciseo desideratum unicum penè illud fuit: quod ultionis vindictæque cupidior, tentaret ea nonnunquam atque aggrederetur, quæ vires suas, facultatesque longè superarent: fieret hinc, ut magnis ausis, conatibusque suis non rarò excideret. Hujus generis fuit, quod Richardo Archipræsuli Trevirensi per literas bellum denunciavit: cum is jure agi prohiberet cum duobus dirionis suæ hominibus, pro quibus fidem suam interposuerat. Deforme namque atque humile quippiam, seculo illo, videbatur; judicis consequi sententia, quod quis armatâ, cum suorum suorum manu impetraturum sese confideret. Spei itaque animique plenus, & cum agnatorum suorum, tum nobilium aliorum adjurus subsidiiis, Trevirim obsidet, primariam Galliæ Belgicæ Urbem & sedem Electoralem: obsessam tormentis igneque injecto oppugnat acerrimè. Viceversa si nihil Archiepiscopus intermitteret eorum, quæ ad defensionem urbis pertinere videbantur; magis tamen fractus, & ad solvendam obsidionem urbis coactus Sickingus fuit, cum Ludovicus Elector Palatinus: Philippus Hassiæ Landtgravius, ut & Suevici foederis consortes, Archiepiscopi viribus copias suas conjungerent: fractæ pacis publicæ Sickingum reum agentes, eaque de causâ puniendum existimantes. Franciscus in arcem suam Nanstadium sese recipit: ubi à principibus arctè obsidetur: cumque